IN EXSEQUIIS PRO DEFUNCTIS

R. Ms. 37

In Processionibus

Statio Prima.

℟. Qui Lazarum resuscitasti a monumento fœtidum. * Tu eis. Dne.. dona requiem, et locum indulgentiæ. ℣. Qui venturus es judicare vivos, et mortuos, et sæculum per ignem. * Tu eis...

Kyrie eleison. Pater noster...

BIBLIOTECA UNIVERS. AUTON. BARCELONA

℣. Et ne nos inducas in tentationem.
℣. A porta inferi. ℟. Erue, Dñe...
℣. Requiescant in pace. ℟. Amen.
℣. Dñe, exaudi orationem meam...
℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum.

Oremus.

Fidelium, Deus, omnium Conditor et Redemptor; animabus famulorum famularumque tuarum remissionem cunctorum tribue peccatorum: ut indulgentiam, quam

semper optaverunt, piis supplicationibus consequantur. Qui vivis ...
℣. Requiem æternam dona eis, Dñe.
℣. Requiescant in pace. ℟. Amen

Tempore Adventus dicitur sequens Oratio.

Oremus.

Gratiam tuam, quæsumus, Domine, mentibus nostris infunde: ut qui, Angelo nuntiante, Christi Filii tui Incarnationem cognovimus, per passionem ejus, et

Crucem, ad resurrectionis gloriam perducamur. Per eumdem Christum Dominum nostrum. Amen

A Nativitate Domini usque ad Purificationem dicitur, loco praecedentis, sequens Oratio.

Oremus.

Deus, qui salutis æternæ, B. Mariæ virginitate fœcunda, humano generi præmia præstitisti: tribue, quæsumus; ut ipsam pro nobis intercedere sentiamus, per

quam meruimus Auctorem vitæ suscipere, Dominum N. Jesum Christum Filium tuum. ℟. Amen.

À Purificatione usque ad Pascha.

Oremus.

Concede, misericors Deus, fragilitati nostræ præsidium; ut qui sanctæ Dei Genitricis memoriam agimus, intercessionis ejus auxilio, a nostris iniquitati-

bus resurgamus. Per eumdem Christum Dominum nostrum.

Tempore Paschali.

Oremus.

Deus, qui per resurrectionem Filii tui Domini nostri Jesu Christi mundum lætificare dignatus es: præsta quæsumus; ut, per ejus Genitricem Virginem Mariam, perpetuæ capiamus gaudia vitæ. Per eumd. Ch. D. n.

A Dominica Pentecostes usque ad Adventum.

Oremus.

Concede nos famulos tuos, quæsumus, Domine Deus, perpetua mentis, et corporis sanitate gaudere: et, gloriosa beatæ Mariæ semper virginis intercessione, à præsenti liberari tristitia, et æterna perfrui lætitia. Per Ch. Dnm.

Quando aliqua ex praecedentibus dicenda sit in secunda statione, in prima dicitur sequens:

Oremus.

Omnipotens sempiterne Deus, qui gloriosæ virginis matris Mariæ corpus et animam, ut dignum Filii tui habitaculum effici mereretur, Spiritu sancto cooperante, præparasti: da, ut cujus commemoratione lætamur, ejus pia intercessione, ab instantibus malis, et a morte perpetua liberemur. Per eumdem Christum Dominum nostrum. R. Amen.

Statio Secunda.

℟. Memento mei, Deus, quia ventus est vita mea. ✻ Nec aspiciat....

℣. De profundis clamavi ad te, Domine, Domine, exaudi vocem meam. ✻ Nec...

Kyrie eleison. Christe.... Kyrie....

Pater noster.... Secreto.

℣. Et ne nos inducas in tentationem....

℣. A porta inferi. ℟. Erue...

℣. Requiescant in pace. ℟. Amen.

℣. Domine exaudi orationem meam....

℣. Dominus vobiscum...

Oremus.

Fidelium, Deus omnium Conditor et Redemptor: animabus famulorum famularum tuarum remissionem cunctorum tribue peccatorum: ut indulgentiam, quam semper optaverunt, piis supplicationibus, consequantur. Qui vivis, et regnas in sæcula sæculorum.

V. Requiem æternam dona eis, Dne.

V. Requiescant in pace. R. Amen.

Oratio de Festo ocurrente.

Statio tertia.

℟. Libera me, Dñe, de viis inferni, qui portas æreas confregisti, et dedisti eis lumen, ut viderent Te.
✱ Qui erant in pœnis tenebrarum.
℣. Clamantes, et dicentes: advenisti Redemptor noster ✱ Qui erant ...
℣. Requiem æternam dona eis, Domine: et lux perpetua luceat eis. ✱ Qui erant...
Kyrie eleyson. Criste... Kyrie.....
Pater noster... secretò.

℣. Et ne nos inducas in tentationem....
℣. A porta inferi. ℟. Erue....
℣. Requiescant in pace. ℟. Amen.
℣. Domine, exaudi orationem meam...
℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum.

Oremus.

Fidelium, Deus omnium Conditor, et Redemptor: animabus famulorum famularumque tuarum remissionem cunctorum tribue peccatorum: ut indulgentiam quam semper optaverunt, piis supplicationibus consequantur. Qui vivis... in sæc.

℣. Requiem æternam dona eis. Dñe. ℣. Requiescant in pace.

Oremus.

Præsta, quæsumus, omnipotens Deus: ut qui gloriosos martyres fortes in sua confessione cognovimus, pios apud te in nostra intercessione sentiamus. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

In Dominicis per annum, quando fit officium de Tempore, loco præcedentis dicitur sequens:

Oratio. VI Oremus.

Deus, qui meritis beatissimi ac gloriosissimi martyris tui Sebastiani.

pestem hominum mortife-
ram revocasti: concede propi-
tius: ut qui ejus commemora-
tionem colimus, ab omni pes-
te, et tribulatione, et à morte
subitanea, atque perpetua
liberemur. Per Ch. D. n. Amen.

In IV. Statione,

quæ fit ante altare,

semper dicitur sequens

Oratio. Oremus.

Deus, qui beatæ Annæ gratiam conferre dignatus es, ut Genitricis unigeniti Filii tui Mater effici mereretur: concede propitius; ut cujus memoriam celebramus, ejus, apud te, patrociniis adjuvemur. Per eumdem Christum Dominum nostrum.

℟. Amen.

In aniversariis defunctorum per annum ocurrentibus.

ab.

Absolutio ad Tumulum,

post Missam.

Pater noster. secreto. ℣. Et ne nos inducas in tentationem. ℟. A porta inferi. ℣. Requiescant in pace. ℟. Domine. exaudi orationem meam. ℣. Dominus vobiscum.

Oremus.

Deus indulgentiarum, Domine: da animabus famulorum famularumque tuarum, quorum anniversarium depositionis diem commemoramus, refrigerii sedem, quietis beatitudinem, et luminis claritatem. Per Christum Dnum. n.

℣. Requiem æternam dona eis. Domine.

Ms. 37